



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,
Belgium, aliasque orbis Christiani provincias**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Cpavt LIV. S. Ioannis Bapt. Monasterium in vrbe Valentiana, in Hannonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11321

Montis-acuti, & *Lamberti* Comitis Clari-
 Montis, qui cū in terrę sanctę subsidio nau-
 fragium passi, Deo Ecclesiam vouissent, mox
 serenitatem obtinuerūt. Proclamatur autem
 annuè eo in loco beati viri memoria sequen-
 tibus verbis: *Octauo Idus Iulij, anno Domini*
1115 obiit Dominus Petrus venerabilis Sacerdos &
Eremita, qui primus prædicator sanctę Crucis à
Domino meruit declarari. Hic post acquisitionem
terra sanctę cū reuersus fuit ad natale solum, ad
petitionem quorundam virorum nobiliū & igno-
bilium fundauit Ecclesiam istam in honorem San-
cti Sepulchri & S. Ioannis Baptistę; in qua ido-
neam sibi elegit sepulturam. Sic ferè Molanus
 in Natalibus SS. Belgij.

Memoria
 annua
 Petri Eri-
 mite.

CAPVT LIV.

S. IOANNIS BAPT. MONASTE-
 rium in vrbe Valentiana, in Han-
 nonia.

Monasterium hoc à Theodorico Gal-
 lię Rege primum ædificatum, sacrif-
 que Virginibus traditum, ac deindè à Pippi-
 no itidem Rege auctum esse, sunt qui tra-
 dunt.

Vt vt sit, constat ex manuscriptis Hanno-
 1112. nię Chronicis, an. 1112. Canonicos sæculares,
 hunc locum incoluisse; qui vitę cū essent
 dissolutioris, Rainerus Castellanus Valen-
 tianus,

tianus, vir pius, de ijs apud Samsonem Archiepiscopum Remensem grauiter questus est. Florebat id tēporis iuxtà muros vrbis Suesionensis, Canonorum regularium Ordin. S. Augustini monasterium, SS. Crispi & Crispiniani titulo nobile. Quo ex loco Samson Archiepiscopus Gilbertum monachum euocauit, eumque cum socijs aliquot Valentianas misit, & primum S. Ioannis Abbatem ordinauit. Qui quidem, Canonicis sæcularibus amotis, pòst multas demùm tribulationis, ritè oia disposuit, & plurimos sodales cōgregauit. Sic ferè manuscrip. Hannoniē Chronica narant: in quibus postmodum subiungitur diploma Alexandri III. Pont. Max. Anagninæ 1172. datum, quo Gilberti Abbatis & fratrum iuxtà Regulam S. Augustini, & institutum Aroasiensej viuentium statum approbat, & possessionum omnium iura confirmat.

Obijt autem Gilbertus Abbas ann. 1185. cū annos quadraginta, laudabiliter præfuisset.

Cæterum Abbatia ista S. Ioannis, apud Valentianas, fuit olim vna ex ijs quæ ad congregationem Aroasiensem spectabant: de qua vide
suprà c. 10.